

probasse videretur, occurrit e diverso Tullius non oportuisse etiam illo convivii tempore a ceterorum habitu dissentire, ne coetus epulantium unius veste lugubri contaminaretur.

§ 33. Postulatusne sis lege Licinia <et Iunia>. 5

Crimine de sodaliciis Vatinius coeperat accusari, de quo puniendo iis legibus cavebatur.

Appellarisne tribunos pl., <ne> causam diceres.

Argumentum conscientiae invenit, ... quam iudicio probare nihil ab se contra leges esse commissum. Vigilantissime praeterea non collegium tribunorum, sed tantummodo P. Clodium dicit ab eo appellatum, quoniam diffideret scilicet auxilio ceterorum et in uno spem haberet, qui etiam confessis criminibus opitulari soleret.

§ 34. Num quis reus in tribunal sui quaesitoris 15 escenderit <eumque> vi deturbarit, subsellia dissuperit, urnas deiecerit.

Haec facta sunt, cum reus esset de vi P. Vatinius accusante C. Licinio. Nam cum praetor C. Memmius quaesitorem sortito facere vellet et Vatinius postularet, ut ipse <et> accusator suos mutuas reiectioes de quaesitoribus facerent — ipsius etenim Vatini lege, quam tulerat in tribunatu, non satis aperte neque distincte apparebat, utrum sorte quaesitor esset deligendus an vero mutua inter adversarios facienda reiectio — conspirati quidam pro ipso Vatino inmissi tribunal conscenderunt et sortes, quae intra urnam continebantur, dispergere aggressi sunt. Atque ita effectum est gratiose per P. Clodium, ut omnia secundum voluntatem suam Vatinius obtineret. 30